



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Gratia an præcedit fidem, an sint vna & eadem res. tit. 53

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ignitatem, aut operū iustitiam: sic eligit, vocat, conseruat in fide, glorificat nos pater, & hæc omnia propter Christū. Sic ait Paulus Rom. 16. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cū omnibus vobis, Amen, id est, fauor, dilectio, misericordia, quam pater ad nos habet & gerit propter Christum filium suum, sit & maneat vobiscum semper, & conseruet ab omni errore. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8.

GRATIA AN PRÆCEDIT

fidem, an sint vna & eadem res.

TITVLVS LIII.

Primò, hoc sine dubio verum est, quòd gratia Dei præcedit omnia, cū fidem, tum dilectione, timorem, castitatē, &c. Nā hæc sunt dona gratiæ, quæ cōferuntur illi, quæ gratia Dei iam, acceptauit propter Christum. August. lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 2. Deus, inquit, dum nō vult iustificare, præuenit nos, cum omnibus tam exterioribus, quàm interioribus operibus nostris, & cōdonat peccata ex mera gratia: Non quasi nos eū primò dilexerimus, 1. Ioan. 4. Ephe. 1. elegit nos in Christo. Nec gratia est fides realiter, sed fides ex gratia donatur. 1. Tim. 1. misericordiā consecutus sum, vt fidelis essem: gratia ergo præcedit fidē: tribuere ergo fidei iustificationem, cū gratia iustificet, saluet, &c. est derogare gratiæ. Non sunt ergo idem, fides & gratia.

Præcedit ergo gratia omnia dona, fidē & dilectionem, &c. Et illa causa est, cur propter Christum hæc dona communicantur nobis, sicut dicit Dauid Psal. 59. Misericordia tua præueniet me. Postremò hæc gratia facit, vt obediām⁹ fidei, dilectioni, &c. Sicut idē propheta Psal. 22. dicit, Misericordia tua subsequetur me. Hanc doctores vocāt gratiam præuenientē alte-

M m 2 ram

ram subsequentem. De prima inquit Apost. 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum. De altera, Gratia Dei in me vacua non fuit, & utramque comprehendit Christus Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Et gratia ipsa fons, dona riuuli, est sol, omnia in omnibus operans.

1. Cor. 12.

Secundò, Hæc eadem misericordia Dei, aut gratia, dat gratiam pro gratia propter Christum, gratiam vitæ æternæ. Romanor. 6. Gratia & donum vitæ æternæ, pro gratiæ donis, id est, fidem, spem, dilectionem, cum quibus negociari debemus, sic dicit Euangelista Ioã. 1. De plenitudine eius accepimus omnem gratiam pro gratia. Et sic pro bona vita, quæ datur ex gratia, etiam datur æterna vita: ex quibus patet quòd nō possumus gloriari de donis & operibus nostris. Quid enim habes, quod non accepisti, 1. Cor. 4. Sed si acceperis, ad quid gloriaris?

Tertiò, ex quo omnia dona quæ habemus, & quorum adiutorio laboramus & facimus bona, sunt dona gratiæ Dei: Nos quæ nō sumus sufficiens aliquis gloriari ex nobis, &c. 2. Cor. 3. Sequitur quod qui blasphemant pia opera, ipsam Dei gratiã datricem donorum blasphemant, atque spiritum sanctum, cuius fructus sunt omnia bona & virtutes, Gal. 5. Nō ergo abijcere, Gal. 5. neque inuanū recipere debemus illam, 2. Cor. 6. Deper Euangeliū offert tibi gratiam & dona gratiæ. Vide, quomodò apprehenderis, & utaris illis, &c.

Quartò, inquis: Non gratiæ vel donis illis contemno dico, sed quoniam homo peccator est, ideò dico nō esse sua opera? &c. Resp. Nunquid lutum sordidat? An malitia hominis maculat dona & virtutes Dei? Malitia obstinata facit, ne sint efficacia, fides, & sacramenta, sed non in pœnitentibus. In his fides & cæteræ virtutes purgant corda. Actor. 15. fides purificans corda &c. Cuique ergo dicitur, ut videat se non gratiam DEI contemnat. Præcedit ergo gratia

fidem. Nec vna res sunt fides & gratia, licet vnum sit id est, fides ab alio, id est, gratia. Gratia non est fides infusa. Nam illam distinguit Apostolus à charitate, id est, gratia, gratum faciente, 1. Cor. 13. Maior horum charitas. Neque fides acquisita, quia illa est actus hominis, & consensus. Gratia autem merum donum Dei, à Deo solo creatum in anima hominis, Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio, &c.

*AN GRATIA ET DONVM
in gratia sint idem.*

TITVLVS LIIII.

PRIMÒ, Gratia est immeritus fauor, immerita misericordia DE I erga nos propter Christum. Hic fauor & misericordia Dei, præcedit omnia dona, quæ in gratia donantur, omnem iustitiam, omne meritum hominis. Nam ante constitutionem mundi, Ephes. 1. elegit nos in Christo & fouit, & dilexit, & hoc ad laudem & gloriam gratiæ suæ. Non igitur ex operibus est gratia: alioqui gratia iam non est gratia, Roman. 11. Ideò est immeritus fauor & misericordia Dei, gratia, qua ab æterno in mente diuina propter Christum dilecti sumus, antequàm nati fuimus, sicut dicitur Gen. 25. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Nondùm erant paruuli nati, Roman. 9.

Secundò, Hęc gratia, id est, immerita misericordia propter Christum, est causa, fons, origo, magistra iustificationis, vocationis ad fidem, magnificationis quæ nos in præsentem per opera magnificat & glorificat in cælis, Roman. 8. Si enim Iacob eligitur, antequàm natus, Genes. 25. & nos ante mundi constitutionem electi sumus in Christo, Eph. 1. Ergo sola gratia Dei iustificat & saluat, & solus Deus propter semetipsum iustificat, & causam à seipso accipit, quòd

M m 3 propter